

oritur, ex eorum malis moribus mala vendi consuetudine, & licentiosa nimis vita, & sepe etiam ex nimia facilitate nonnullorum Dominorum officiorum in recipiendis in eorum officiis dictis Substitutis, & Juvenibus recedentibus ab aliquo officio contra formam, & dispositionem tam antiquorum, quam modernorum statutorum Tribunalis.

Volens propterea Collegium Notariorum A. C. opportuna pramissis adhiberi remedia, ipsosque Substitutos, & Juvenes reformare ad suam, & omnium utilitatem, maxime vero publicam, negotio hujusmodi in diversis Congregationibus mature discussis licet jam in admissionem cujuslibet Notarii fuerit juratum per quemlibet statuta, consuetudines, & decreta Collegii inviolabiliter observari, nihilominus ne dicta statuta absoluta esse videantur hoc presenti perpetuo valituro decreto innovarunt omnia antiqua statuta, & decreta Collegii de Substitutis, Juvenibus, & Copiis disposita que habentur in lib. priori rubeo sub foliis 32. & 200., & in posteriori libro sub fol. primo jam pridem a nostris Antecessoribus consulte facta, & hic ad majorem corroboracionem denuo inserta Tenoris &c.

Quae quidem decreta, & statuta perpetuo observari decreverunt, & cum Juramento promiserunt sub poenis in illis contentis, & ulterius ducatorum vigintiquinque auri de Camera per contravenientes solvendorum, & aliis distribuenda, & sic se subscriperunt in fidem &c.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subungebat prefati Notarii decreta, & statuta hujusmodi pro illorum firmitate subsistentia, & observatione apostolicae nostrae confirmacionis patrocinio communiri sum. moperere desiderent.

§.3. Nos eisdem exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus, illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, decreta, & statuta praesentia cum omnibus, & singulis in eis contentis apostolica auctoritate, tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenierint supplemus.

§.4. Decernentes illa, necnon praesentes literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet in futurum spectabit inviolabiliter observari, ipsisque Nota-

riis plenissime in omnibus, & per omnia, suffragari; sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, ipsosque etiam Camerae praedictae Auditorem generalem, & quosvis alios quavis auctoritate fungentes judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac, quantum opus sit, quibusvis aliis Collegii eorundem Notariorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac, vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 15. Februarii 1642. Pontificatus nostri Anno XIX.

Contrariorum derogatio.

Datum die 15. Februarii 1642. An. XIX.

DCXCVI.

Decreta nonnulla edita in Definitorio Provinciae S. Francisci Galliae Fratrum Ordinis S. Francisci Recollectorum extenduntur ad omnes d. Regni Provincias.

Ex Regest. in decret. Brevis

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Alias pro parte dilectorum filiorum Fratrum Definitorii Provincialis Ordinis Minorum S. Francisci Recollectorum nuncupator. Provinciae Sancti Francisci in Gallia Nobis exposito, quod in dicto Definitorio ordinatum fuerat, ut jura Patrum dictae Provinciae regularentur modo sequenti, videlicet. Primo gaudebunt ubique etiam in Capitulo, & Congregationibus quibuscumque praecedentia, & titulis Patrum Provinciae juxta statuta generalia, & Provinciae. Secundo, erunt perpetui discreti ad quaecumque Capitula Provincialia convocandi, in quibus habebunt votum activum, & passivum, sicut ceteri vocales in omnibus si adesse voluerint. Tertio, Exprovincialis finito triennio sui Provincialatus, ad omnes Definitorii Congregationes, & Congregationem intermediam vocabitur, & accedet, ibidemque, sicut ceteri Definitores, suffragabitur usque ad sequentis ministri creationem inclusive; elapso vero hoc Exprovincialis triennio nullum jus ad ingrediendum definitorium, sicut nec ceteri Patres Provinciae obtinebit. Quarto, omnibus privilegiis, quibus Definitorii Patres juxta statuta Provin-

Alias h. Fratres jura suam suam Provinciam relata hic modo dirigi poterunt.

Petitur apostolica confirmatio.

Conceditur.

Clausula.

vincia gaudent, & quodcumque gaudebunt, solo ingressu excepto, plenarie poterunt, aliisque, quibus antea potiebantur.

Quod ab Urbano non fuit praefertur.

§.2. Ipsique Exponentes praemissa per Nos confirmari cupiebant; Nos de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis regularium prepositorum consilio, ordinationes praedictas apostolica auctoritate confirmavimus, & alias, prout in nostris in simili forma Brevis Literis de Anno 1634. expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Eandem methodum ad ceteras Regni Galliae Provincias extendi petunt.

§.3. Cum autem, sicut iidem Fratres Recollecti dicti Regni Nobis nuper exponi fecerunt, subinde Ordinationes hujusmodi, sic per Nos confirmatae, nedum in praedicta S. Francisci Provincia observatae, sed etiam in duabus Congregationibus aliis, seu nuper Parisiis, & Nivernis per Patres Recollectos Provincialium Regni Franciae celebratis per Statutum receptae, executioni quae demandatae, & sic dissentiones, & quae ratione eatepus exorte in praefatis Fratrum Recollectorum dicti Ordinis Provinciae ejusdem Regni circa dicta Patrum Provincialiarum privilegia, consopite, terminataeque, necnon pax, & uniformitas iisdem Provinciis reddita fuerint, Nobis propterea, denuo nedum pro parte praedictorum Provinciae ejusdem S. Francisci, sed etiam omnium aliorum Praefatorum Patrum Recollectorum dicti Regni humiliter supplicatum fuit, ut pro honore papacis, & uniformitatis inter ipsos, praefatas nostras literas ad omnes, & singulas eorundem Fratrum Recollectorum Provinciae dicti Regni extendere, & alias, ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Prasert. Pont.

§.4. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praefatas nostras Literas cum omnibus, & singulis in eis contentis, ad omnes, & singulas Fratrum Recollectorum dicti Ordinis Provincias in eodem Franciae Regno, apostolica auctoritate, tenore praesentium, extendimus.

Aliud vero Statutum, ex quo est revocatum datur occasio.

§.5. Et insuper, cum sicut Nobis innotuit, occasione cujusdam Statuti inter alia in ultimo generali dicti Ordinis Capitulo de anno 1639. celebrato editi, & per quosdam alias nostras in eadem forma Brevis Literas de eodem anno emanatas confirmati, Patribus Recollectis dicti Ordinis ejusdem Regni desuper inauditis, quo nedum Exprovincialis, sed etiam Patri Provinciae digniori ingressus in Definitorium conceditur, quamplures de novo lites, & controversiae in praefatis Fratrum Recollecto-

rum dicti Regni Provinciae exorte sunt, nullaque in eisdem Provinciis obtinenda pacis, & tranquillitatis spes affluat, immo maxima relicta sit occasio de majoribus, quam antea dissentionibus dubitandi.

Cassat, & irritat.

§.6. Nos praemissis pro nostra pastoralis sollicitudine occurrere volentes, praefatum Statutum, seu dicti Capituli Generalis indultum, quod videlicet Exprovincialis, & Pater Provinciae dignior Definitorium ingredi possint, quoad praefatas Fratrum Recollectorum dicti Ordinis Provincias ejusdem Regni, auctoritate, & tenore praedictis revocamus, cassamus, & annullamus, ac pro revocato, casto, & nullo haberi volumus, & declaramus.

Clausulas addit.

§.7. Decernentes praesentes Literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari: Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§.8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac praedicto, & quibusvis aliis Ordinibus, & Provincialium hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis dictis Ordini, & Provinciae, illorumque Superioribus, Fratribus, & personis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice, dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§.9. Volumus autem, ut praesentium, transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra ubique habeatur, quae praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 20. Februarii 1642. Pontificatus nostri Anno XIX.

Datum die 20. Februarii 1642. An. XIX.

Quod

Ex Reg. in
Secr. Breve.

Quod concordato, & invitato Parocho, cadavera Defunctorum possint Sepulture tradi per Regulares Ordinum Mendicantium Provinciae Russiae absque alio Parochi consensu.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Regularium
petitio.

§.1. Cum, sicut dilecti filii Fratres Ordinum Mendicantium Provinciae Russiae Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi cupiant per Nos declarari, An Regulares absque ulla alia licentia Parochi possint recto tramite e Domo proprio Defunctorum Cadavera illorum asportare, & in propriis eorumdem Regularium Ecclesiis sepelire, cum ab ipsis Defunctis, sive illorum heredibus, & consanguineis Sepultura sibi in Ecclesiis Regularium electa fuit, concordato prius, & invitato Parocho per eosdem de suis emolumentis pro more locorum.

Declaratio, de
qua in Rubr.

§.2. Nos eisdem Fratres Mendicantes specialibus favoribus, & gratis profecti volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum praesentium, dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus, illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum consilio, posse in casu proposito, concordato, & invitato Parocho, Cadavera Defuncti Sepulturae tradi per Regulares, absque alio consensu Parochi, Apostolica auctoritate tenore praesentium declaramus.

Causale.

§.3. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium
derogatio.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, ordinum praedictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 22.
Februarii 1642.
An. XIX.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die 22. Feb. 1642. Pontificatus nostri Anno XIX.

Facultas Thesaurario Generali Camerae Apostolicae deputandi Exactores Jurium, & Spoliorum Camerae praedictae debitorum in Cathalonia, & Comitatus Ceritaniae, & Rossilionis ob bellorum motus.

Ex Reg. in
Secr. Breve.

Dilecto filio Magistro Jo: Baptista Lemellino in utraque Signatura nostra Referendario, ac nostro, & Camerae Apostolicae Thesaurario Generali.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. Cum, sicut accepimus, a multo citra tempore ob bellorum motus in Principatu Cathaloniae, & Comitatus Rossilionis, & Ceritaniae vigentes, illi iurium, & spoliorum Camerae Apostolicae debitorum Subcollectores, quos dilectus filius noster, & Apostolicae Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncius, ac iurium, & spoliorum, eidem Camerae in dictis Regnis debitorum, Collector Generalis deputaverat in singulis Civitatibus, & Dioecibus Principatus, & Comitatum hujusmodi sint de facto impediti, quominus cum eodem Nuncio tractare, illique de exactis respondere, ac rationes collectionis, & administrationis eorum reddere possint, prout antea faciebant in maximum dictae Camerae detrimentum.

Causa concedenda facultatis.

§.2. Idcirco Nos ejusdem Camerae indemnitati in praemissis, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine tibi per praesentes committimus, & mandamus, ut in Civitatibus, & Dioecibus Principatus, & Comitatum praedictorum, tot, quot tibi videbitur personas, quae durante impedimento praedicto jura, & spolia, ac Ecclesiarum nunc, & pro tempore vacantium fructus dictae Camerae haecenus, & pro tempore debita, & debitos colligant, & percipiant, necnon a Commissariis, & Subcollectoribus iurium, spoliorum, & fructuum hujusmodi per dictum Nuncium deputatis rationes suae administrationis ab ultima per eos reddita, & solidata cum dicto Nuncio ratione, exigant, & quascumque pecuniarum summas, in quibus Commissarii, & Subcollectores praedicti debitores reperti fuerint ab eis ad Te, Thesaurariumque Generalem Camerae Apostolicae pro tempore existentem quamprimum transmitti, vel tibi solvi ad effectum illas ad Nos, & Sedem Apostolicam tutiori, qua fieri poterit via transmittendi, faciant auctoritate nostra cum facultatibus ad praemissa necessariis, & quomodolibet opportunis, & quas illis, durante eorum impedimento, tribuendas duxeris concedendas deputes. Nos

Facultas, de
qua in Rubr.

Contrarium
derogatio.

Nos enim tibi desuper plenam, & amplam eorumdem, tenore praesentium facultatem concedimus, & impertimur.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit, Principatus, & Comitatum hujusmodi, illorumque Civitatum, Locorum, & Ecclesiarum quarumcumque, aliorumque Regnorum, Provinciarum, Civitatum, & Locorum quorumcumque, & quibusvis aliis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stylis, & usibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 8.
Februarii 1642.
An. XIX.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 28. Februarii 1642. Pontificatus nostri Anno Decimono.

DCXCIX.

Ex Reg. in
Secr. Breve.

Facultas Patriarchae Constantinopolitano, & Archiepiscopo Damiaten. Nunciis Hispaniarum exercendi suum munus, etiam extra Regna Hispaniarum, quatenus ex ipsis Regnis expellantur, vel discedere cogantur.

Ven. Fratri Joanni Jacobo Patriarchae Constantinopolitano nostro, & Apostolicae Sedis ad charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum Regem Catholicum, & Hispaniarum Regna cum potestate Legati de Latere Nuncio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Causa concedenda facultatis.

§.1. Cum Nos nuper te nostrum, & Apostolicae Sedis cum potestate Legati de Latere Nuncium, ad charissimum in Christo filium nostrum, Philippum, Hispaniarum Regem Catholicum, & Hispaniarum Regna miserimus, ubi resedit, & nunc residet Ven. Frater Caesar Archiepiscopus Damiaten. eandem Nunciaturam exercens; Idcirco volentes casibus contingibilibus providere, quatenus indebite, scilicet inimico homine Zizania disseminante, accideret, quod Deus avertat, fraternitatem tuam non recipi, & praedictum Caesarem, aut etiam post suam receptionem, utrumque vestrum a praedictis Regnis expelli, aut alias te, quominus commissum tibi munus, & facultates tibi a Nobis concessas libere exerceas, quomodolibet

impediri, considerantesque quam graviter ex praemissis, si fierent, nostra, & dictae, Sedis auctoritas laderetur, quantumque debita Nobis, & eidem Sedi obedientiae, & reverentiae detraheretur, & pastoralis officii nostri esse duximus, in praedictis casibus, licet plane incertis, & quos vix suspicamus, de illis providere remediis, per qua nostra, & dictae Sedis dignitas, & auctoritas facta recta conservetur, & tam ipse Caesar, quam tu muneribus vobis commissis fungi valeatis, & quilibet vestrum valeat, unus alterum adjuvando, & alter alteri supplendo, ac violentias alteri vestrum inferendas vindicando, jurisque remediis opportunis propulsando.

Facultas, de
qua in Rubr.

§.2. Motu itaque proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tam eidem Caesari, cujus facultates alias per Nos sibi concessas in quolibet praedictorum eventuum, ad infra scriptum effectum dumtaxat durare volumus, quam etiam fraternitati tuae, & quilibet vestrum insolidum per praesentes committimus, & mandamus, ut etiam extra Regna praedicta, & ubivis locorum, & in quacumque aliena Provincia, Civitate, Dioecesi, & jurisdictione, ubi eundem Caesarem, ac te pro tempore, etiam iter agendo, seu transiendo existere, seu morari contigerit, etiam non requisito Ordinario, Episcopo, Dioecetano, Metropolitanorum, Primatum, & quocumque alio cujuscumque ordinis, status, gradus, conditionis, qualitatis, & dignitatis, etiam ecclesiasticae, ac specialiter nota, & individua expressione digno, nullaque petita, nec obtenta ab iis, nec a quibusvis aliis licentia nedum omnes & singulas facultates eidem Caesari, & tibi per Nos concessas in subditos tuae, & illius jurisdictioni ratione muneris Nuncii hujusmodi non secus ac si in dictis Regnis, & locis solita Nunciorum Sedis Apostolicae ad eadem Regna residentiae existerent libere exerceas, & dictus Caesar exerceat, sed etiam in quovis alios, etiam extra praedicta Regna commorantes, quorum, facto, ope, consilio, auxilio, opera, jussu, & auctoritate tibi ingressus in dicta Regna denegari, aut te, ut par est, non recipi, vel postquam ingressus, & receptus fueris, aut alias in muneris Nuncii hujusmodi, & facultatum praedictarum libero exercitio quomodolibet impediri, aut te, ac praedictum Caesarem, seu alterum vestrum a praedictis Regnis eiici, seu expelli, seu etiam ad inde discedendum cogi contigerit quicumque, & quoscumque sint, ac quantumvis privilegiati, exempti, qualificati, specialique, & individua expressione digni existant, omnibus, & singulis remediis, tam conjunctim, quam divisim, ac etiam ex officio, seu per inquisitionem, etiam summarie, simpliciter, & de plano sine figura, & strepitu iudicii, sola facti veritate inspecta, ac omni, & quacumque appellatione remota, procedas, & respective procedat, sententiasque, censuras, & poe-

& poenas ecclesiasticas ad tui, & dicti Caesaris defensionem, ac violentiarum, & injuriarum, quas vobis, & cuilibet vestrum forsan inferri contigerit, ut praefertur, pro pulsationem, & vindictam non solum extrajudicialiter, sed etiam judicialiter procedendo infligas, & fulmines, ipseque Caesar infligat, & fulminet, infligatque, & fulminatas, etiam a jure, & Constitutionibus Apostolicis, contra similia audentes, & perpetrantes uterque vestrum declaret, & denunciaret, aggravetque, & reagret, aliaque in praemissis quomodolibet necessaria, & opportuna faciat, dicat, gerat, decernat, exequatur, & executioni demandari curet, toties quoties opus erit vel cuilibet vestrum videbitur, etiam si mandatum magis speciale, & individuum mentionem requirent, necnon quaecumque interdicta ecclesiastica, tam personalia, quam localia, seu mixta in una, seu pluribus Civitatibus, & Terris, seu locis; ac etiam in omnibus, & singulis Regnis praedictis, & in ipsa Cappella Regia Regnorum hujusmodi, cessationemque a divinis decernas, & ponas, ac dictus Caesar decernat, & ponat: Nos enim ad praemissorum effectum, plenam, amplam, & sufficientem facultatem utriusque vestrum desuper tribuimus, & impertimur, cum facultate deputandi ubique alium, seu alios cum simili, vel limitata facultate, prout cuilibet vestrum videbitur ad faciendum, gerendum, & exequendum omnia, & singula praedicta, ac alia, quae vobis, & vestrum cuilibet videbuntur, & quae erunt quomodolibet necessaria, & opportuna, illumque, & illos mittendi, ad Civitates, Terras, & loca quaecumque vobis benevisita tam intra, quam extra praedicta Regna consisten. etiam cum facultatibus citandi praedictos, omnemque alios etiam per edictum publicum in valvis Ecclesiae Majoris illius Civitatis, Terrae, vel loci, ubi vos, vel alterum vestrum, etiam per transitum morari contigerit, confito summarie, quantum vobis, seu cuilibet vestrum sufficere videbitur de non tuto accessu, illisque toties quoties opus fuerit inhibendi, etiam sub censuris, & poenis, etiam pecuniariis, per quemlibet vestrum, vel vestros deputatos vestro, vel eorum arbitrio infligen., applicandis, & moderan., ac quaecumque alia quomodolibet necessaria, & opportuna gerendi, decernendi, mandandi, & exequendi.

Contrarium derogatio.

§.3. Non obstantibus fe. re. Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in Conciliis Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon dictorum Regnorum, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, Institutuum, & Militiarum quorumlibet, ac quarumvis Civitatum, Terrarum, & locorum, etiam juramento, confirma-

tione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, legibus, usibus, naturis, ac ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis dictis Regnis, illorumque Incolis, & quibusvis aliis Nunciis, & personis tam conjunctim, quam divisim sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogat. derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in specie, vel in genere, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam conceissorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum, etiam pluries, & iteratis vicibus concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum infererentur, praesentibus pro expressis, & insertis, & forma hujusmodi pro servata habentes, illis aliis in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si eisdem Regnis, illorumque Incolis, & quibusvis aliis locis, & personis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad parendum alicui cogi, & compelli, aut quod citari, seu in iudicium coram iudicibus de eorum consensu non deputatis, vel extra Regna hujusmodi, & loca suae habitationis advocari, vel quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia, ejusdem Sedis indulgentia generali, vel speciali, per quam praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, ejusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 28. Februarii 1642. Pontificatus nostri Anno XIX.

Datum die 28. Februar. 1642. An. XIX.

Con-

DCC.

Constitutio circa formam, & habitum Sacrarum Imaginum.

De veneratione Sanctarum Imaginum habes Gregorii XIII. Constit. LI. Sanctissimus. Tom. IV. Par. III. fol. 311. §. 15. Circa formam autem, & habitum Sacrarum Imaginum lege Sacrosancta Tridentina Synodi Decretum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Sacrosancta Tridentina Synodus optime agnoscens non leve scandalum afferre posse, si quid inordinatum, aut praepostere accommodatum, vel prophanum in Ecclesiis appareat, statuit nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam Imaginem ponere, vel ponendam curare, nisi ab Episcopo approbata fuerit.

Hanc Constit. editit Pontifex contra varios abusus circa formas & habitum Sacr. Imaginum.

§.1. Cum autem, sicut accepimus, ex praedicti Decreti inobservantia varii abusus irrepserint. Idcirco Nos abusus hujusmodi tollere, pro debito pastoralis officii nostri volentes, re etiam cum Venerabilibus Sacris Ritibus praepositis communicata, & mature considerata, & discussa, inherendo dictae dispositioni Sacrosanctae Tridentinae Synodi; Motu proprio, & certa scientia nostris, deque apostolica potestatis plenitudine, ne quis cujuscumque gradus, qualitatis, ordinis, status, vel conditionis, ac dignitatis, & praeminentiae, etiam ecclesiasticae, etiam individua, ac speciali expressione digne exiit, Imagines Domini Nostri Jesu Christi, & Deiparae Virginis Mariae, ac Angelorum, Apostolorum, Evangelistarum, aliorumque Sanctorum, & Sanctarum quorumcumque sculpsere, aut pingere, vel sculpi, aut pingi facere, aut ante hac sculptas, aut pictas, & alias quomodolibet effectas tenere, seu publico aspectui exponere, aut vestire cum alio habitu, & forma, quam in Catholica, & Apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consuevit, nec etiam cum habitu peculiaris alicujus Ordinis Regularis, tenore praesentium prohibemus: ac ut Imagines aliter pictae, vel sculptae ab Ecclesiis, & aliis locis quibuslibet amoveantur, & deleantur, vel reducantur, & reformentur ad habitum, & formam in Ecclesia Catholica, & Apostolica ab antiquo tempore consuetam, ut veneratio, & cultus sic dictis Imaginibus augeatur, & quae oculis fidelium subiciuntur non inordinata, nec insolita appareant, sed devotionem pariant, & pietatem: & ne exponantur in Ecclesiis quibuslibet, ac quomodolibet qualificatis, ac eorum Frontispiciis, & Atriis imagines prophanas, vel alias indecentiam, & inhonestatem praeferentes, cum Domum Dei deceat sanctitudo, praecipimus. Quocirca Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, ac nostris, & Apostolicae Sedis Nunciis, & Legatis etiam de Latere, sub obtestatione divini iudicii mandamus, ut praedicta inviolabiliter, & exacte observent. Mandantes insuper omnibus Capitulis Ecclesiarum, etiam Cathedralium, & majorum, ac Universitatibus, etiam Studiorum, Monasteriis, ac Collegiis, & personis quibuscumque etiam ecclesiasticis, secularibus, & regularibus cujuscumque Ordinis, etiam Cisterciens. Instituti, Congregationis, & Societatis, etiam Jesu, etiam Militaribus, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, aliarumque Militarum, & ceteris quibuscumque quomodolibet qualificatis, ac eadem individua expressione, & speciali nota dignis, ac Monialibus, etiam Regularium gubernio subiectis, ac etiam Sedi Apostolicae immediate subpositis, ut in eorum Ecclesiis, & locis omnia, & singula praemissa observent, & observari faciant.

Exemtorum deputat.

§.2. Quatenus vero ipsi, praesertim Regulares, ac Moniales praesentibus literis, ac omnibus in eis contentis parere neglexerint, possint, & debeant Episcopi, & locorum Ordinarii, & Metropolitanus, Primates, & Patriarcha, Nuncii, & Legati Apostolici de Latere missi, tamquam in hoc a Sede Apostolica specialiter delegati, contra omnes, & singulos praedictos, & quoscumque alios quomodolibet inobedientes, & transgressores procedere, & quaecumque appellatione, recursum, reclamatione, aliisque juris, & facti remediis ordinariis, & extraordinariis penitus, & omnino remotis, ad omnimodam observantiam illos praevia unica monitione, censuris Ecclesiasticis, & aliis eorum arbitrio, & praesertim quoad loci Superiores etiam privationis officii, & vocis activa, & passiva poenis compellere.

Clausulas praeservativas apponit.

§.3. Praesentes quoque literas, & in eis contenta quaecumque nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quocumque alio, etiam quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, vel redargui posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter observari.

Clausula sublata &c.

§.4. Sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum quibuslibet facultate, & auctoritate iudicari, & definiti, & interpretari debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Ss

Non

1641.
Contraria re-
mover.

§.4 Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem etiam personarum, atque Ordinum quorumcumque etiam Cisterciensium, ac tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, etiam Jesu, ac cujusvis alterius instituti etiam necessario, & individue exprimen. Monasteriorum, Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcumque tam secularium, quam regularium locorum, necnon illorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis etiam in corpore juris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam mari magno, seu Bulla aurea, aut aliis nuncupatis, Conservatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus quibus Episcopi, & alii Ordinarii, & Superiores praedicti deferre minime teneantur, & quibusvis aliis sub quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de apostolica potestate plenitudine, aut aliis quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicati mand.

§.6. Et ne praemissorum ignorantia possit ab aliquo praetendi, volumus, & apostolica auctoritate decernimus, ut praesentes litterae, seu illarum exemplum ad valvas Basilicae Principis Apostolorum Urbis, ac in acie Campi Flore affixe omnes perinde ardeant, atque afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

Transumpta eredi jubet.

§.7. Quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum die 19. Martii 1642. An. XIX.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die 15. Martii 1642. Pontificatus nostri Anno XIX.

Mandatum Ordinariis Galliae, ut deputent Conventus in singulis Provinciis pro reformatione Fratrum Reformatorum Sancti Francisci.

Ex Regest. in Secretis. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Cum sicut dilecti filii Patres, & Fratres Ordinum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupat. Provinciarum Regni Franciae Reformationem postulantes Nobis, nuper exponi fecerunt in singulis eorumdem Fratrum de Observantia Provinciae dicti Regni copiosius Fratrum reformari cupientium numerus reperitur, qui tamen haecenus voti compotes fieri nequiverunt, impediti etiam a propriis suis Superioribus non reformatis necdum virorum, a quibus reformationi sic additi, in Reformatione hujusmodi, sed etiam Conventuum, in quibus illi recipi, & erudiri possint penuria laborantibus, Nobis propterea iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignemur.

Magnus PP. numerus reformationem cupientium.

§.2. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnibus, & singulis Ven. Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis in dicto Regno constitutis, ac dilectis filiis eorum Officialibus in virtute sanctae obedientiae apostolica auctoritate tenore praesentium praecipimus, & mandamus, ut quoties pro parte eorumdem exponentium fuerint requisiti, in singulis dictorum Fratrum de Observantia ejusdem Regni Provinciae, in quibus adhuc Custodiae Reformatae erectae non fuerint, unam, seu duas, vel plures Domos, prout numerus Fratrum qui reformationem acceptare velint, requireret, assignent, & ad id praedictos Fratres de Observantia, eorumque Ministros Provinciales, & alios superiores, etiam per censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia cogant, & compellant, invocato, etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, ac insuper, quod praedicti Fratres, in singulis Provinciis de Observantia reformari cupientes ab uno ex praedictis Archiepiscopis, vel Episcopis ab ipsis Fratribus eligendo congregati, Custodem, Guardianos, & Novitorum Magistros ex aliis Provinciis, vel Custodiis Reformatorum, seu Recollectorum, dicti Regni pro primo triennio, ad minus, a qui-

Mandatum, de quo in Rubr.

a quibus deinceps gubernentur, erudiantur, & instruantur, & finito anno deliberationis per Constitutionem Clementis Praedecessoris desuper de anno 1601. editam, quae incipit: Pro injunctis, ordinato ad reformationem hujusmodi recipiantur sibi eligere, & assumere libere, & licite possint, & debeant, ita tamen, ut in praefatis domibus, seu conventibus sibi assignandis veram, & realem reformationem juxta praedictam dicti Clementis Praedecessoris Constitutionem, secundum quam in omnibus deinceps vivant, & aliis Reformati seu Recollecti dicti Regni se conforment, Cantu Gregoriano, & aliis divini officii caeremoniis, quae sunt juxta ejusdem Sancti Francisci Regulam, necnon similibus recordationis Nicolai III., & Clementis V. Romanorum Pontificum pariter Praedecessorum nostrorum declarationes exceptis introducere teneantur, ac demum, quod omnibus, & singulis aliis immunitatibus, favoribus, privilegiis, & gratiis reformationi verae, & reali necessariis, & quibus ceterae Provinciae, & Custodiae Reformatorum, seu Recollectorum Ordinis, & Regni hujusmodi fruuntur, & gaudent, frui, & gaudere similiter libere, & licite possint, & valeant, auctoritate, & tenore praedictis concedimus, & indulgemus.

Clausula:

§.3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis ad quos pro tempore spectabit inviolabiliter observari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinibus, Provincialium, & Custodiarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis tam eisdem, quam aliis quibuscumque ordinibus, eorumque superioribus, & personis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, aut aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis in suo robore permanentibus, ad praesentem Bullam Rom. Tom. VI. Par. II.

missorum esse eum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§.5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quae ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum die 22. Martii 1642. An. XIX.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris, die 22. Martii 1642. Pontificatus nostri Anno XIX.

DCCII.

Prohibitio extrahendi libros e Bibliothecis Conventuum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, Congregationis Hispaniae.

Vide, quae de his Fratribus habes in Constitutione. CDLXXVI. Inter ceteras. ut supra fol. 22. Et in Constit. DXIV. Alias a tel. ibid. fol. 69.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Conservationi, & mantentioni Librorum Bibliothecarum Domorum Regularium Fratrum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniae, quantum cum Domino possimus, consulere, ipsiusque Congregationis Procuratorem, Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

Exordium.

§.1. Ne de cetero quivis ejusdem Congregationis Religiosus quavis auctoritate fungens libros, quinterna, folia impressa, sive manuscripta Bibliothecis Domorum Regularium hujusmodi haecenus quomodolibet donata, comparata, sive assignata, seu impofterum donanda, comparanda, vel assignanda, e dictis Bibliothecis, ut secularibus, vel regularibus aliarum Religionum mutuo dentur, extrahere, vel illa sic extracta quoquo modo personis praefatis accomodare, vel mutare, donare, vel dare sub quovis quaesito colore, praetextu, vel ingenio audeat, seu praesumat, sub excommunicationis majoris poena, etiam a quovis seculari, vel alterius Religionis, seu Congregationis regulari, qui praed. libros, quinterna, folia impressa, vel manuscripta ex eisdem Bibliothecis, vel illarum aliqua extraxerit, utenda acceperit, vel sibi retinuerit, eo ipso absque alia

Prohibet prout in Rubric.